



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 4. Alij modi, quibus Magistratus solent honorari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore
 pragnante, & Christum in vtero ferente; qui
 & ipse voluit profiteri, nobisque ostendere
 modum obediendi magistratibus, qui est
 optimus modus eundem honorandi.

§. IV.

Alij modi, quibus magistratus solent honorari.

Quamuis & alij sint, de quibus passim
 historiae meminerunt. Honorantur autem
 magistratu digni ipsa electione, ipso mu-
 nere & officio, ipsa solennitate, vt corona-
 tione, iniectioe pepeli, diadematis, reueren-
 tia, obedientia, donis. Et quamuis saepe
 aliquis ampliore dignus esset officio; tamen
 hoc ipso magis laudatur, si ipse officium ho-
 noret. Epaminondæ, per inuidiam, & con-
 tumeliæ gratia, sordidus quidam & contem-
 ptibilis magistratus à populo Thebano de-
 legatus est. Eum non aspernatus dixit:
*Non solùm magistratum ostendere virum, sed
 virum vicissim ostendere magistratum.* Itaque
 se gessit, vt idem officium deinceps, tamque
 honestum munus, à multis ambiretur, cum
 id nihil fuerit aliud, quàm cura sordes &
 stercora ex angiportis eijciendi. Inde ergo
 laudatus est tantò impensius, quia etiam vi-
 le officium fecit virtute sua diligentiaque

pretiosum. Sape autem ad tribunal, aut fasces euectus debet muneris sui conseruare dignitatem. Fabio Maximo jam sene, filius illius consul factus est, qui cum publicicus multis audientibus habuisset orationem: Fabius conscenso equo præcedebat. Cum autem iuuenis lictorem misisset, qui patrem iuberet equo descendere, alij quidem factum hoc auersati sunt; at Fabius ab equo desiliens, non habita ætatis ratione, accurrit, ac filium complexus: *Euge, inquit, fili, sapi qui intelligas, quibus imperes, & quam magnum magistratum susceperis.* Honorantur denique, præter innumeros alios modos, ij qui in magistratu sunt oblatis donis. De regibus Persarum constat, eos sine munerum oblatione non fuisse salutatos, ac vel aquam caua manu haustam, vel pomum eis fuisse donatum. Salomoni quæ cimelia attulerit regina Saba, historia regum narrat. Et in nouo testamento de Christo Magi aiunt: *Venimus cum muneribus adorare eum.* Digni omnino sunt & donis, & titulis, & obseruatione, & obedientia, quicumque digni sunt magistratu. Vt autem aliquis dignus sit, dicere solebat Agathon, magistratum trium debere meminisse: primùm, *Quòd imperet homi-*

3 Reg 10.
10.

Matth.
2. 2.

Stobæus
ser. 43.

hominibus: deinde, *Quòd secundùm leges: tertio, Quòd non semper imperet. Addo ego quartum, quòd locum Dei teneat; ita enim & ipse se rectè erga subditos, & subditi se rectè erga illum gerent; cùm ob hanc rationem etiam dyscoli sint venerandi. Principes, & prelati honorantur, ait S. Thomas, etiam si sint mali, in quantum gerunt personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur, secundùm illud Prouerb. Sicut qui mittit lapidem, &c. Quia enim gentiles ratiocinationẽ attribuebant Mercurio, acernus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator aliquando mittit unum lapillum loco centum Marcarum: ita etiam honoratur Prelatus, qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis, etiamsi improbus fortasse sit.*

S. Thom.
2. 2. q. 63
a. 3.

§. V.

Tam in veteri, quàm in nouo Testamento sacerdotes fuisse eximie honoratos.

11. Debetur honos sacerdotibus, religiosis, & omnibus hominibus Deo consecratis. Quia sacerdotes Christum repræsentant; & religiosi hoc ipso honore sunt digni, quia sunt aliquid Deo consecratum; quia ad virtutis perfectionem aspirant; quia honorem fugiunt, sequitur autem honor fugientes

Heb. 5. 6.